



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Lavrentivs Episc. 14. Novembris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

vultu & imperiis vindicat, partum veneno tollit. At Euphemia reliquias hujus ab ore filioli legit, meroque miscens novercam infantis Manibus inferias mittit. Ipsa utrique parentatur tumulto hujus à cognatis includitur. Sed adfuere tandem fideijussores GURIAS, SAMONAS & ABIBVS, & Euphemia somni beneficio transvectam patriæ & parenti reddiderunt. Subinde & Gothus adest; rogatus à Sophiâ de filiâ & nepote, salvum utrumque & ab utroque salutem nuntiat, venturis utique, si gradum militare gradum vel mulier vel infans potuisset. Verum perfidiâ à productâ ex adytis Euphemiâ convictus capite pœnas dedit, & occidit ecce puer Amor, cui ingens Mars pepercit. Ex *Metaphr.*

S. LAURENTIUS EPISC.

14. Novembris.

PARENTEM LAURENTII nostri fuisse se ajunt Mauritium inter Hybernicos proceres latissimè imperantem. Ob id cum oculi Regi Dermicio dolerent, Mauritius fidei suæ obsidem in filio, quem natu minimum & charissimum habuit, animum dedit. Et poterat suavissima pueruli indoles barbarum licet cujusvis pectus expugnare. Unus Dermicius Rex gratulatus sibi est, quod ægrè deniq; patri in filio posset facere. Quare

Quare innocentissimam animulam  
vinciri jubet & in Insulam desertam  
asportari squalore & sordibus reo uti-  
que quàm obsidi similiorem. Subjecit  
ea res justas iræ faces Mauritio, ut è sa-  
tellitio regio duodenos etiam ipse vin-  
ctos abduceret morituro filio, nisi in  
tempore hic redderetur, omnes uni pa-  
rentaturos. Mitius proin habitus, & in  
sacrorum hominum sinu eductus Ab-  
bas Glindalacensibus, tum Dublinensi-  
bus Archiep: datus, denique à Pont.  
ad omnem Hyberniam legatus est. Er-  
gò omnium primò mores Canonico-  
rum in pejus prolapsos ad Majorum  
regulam correxit, sui etiam severissi-  
mus censor. Nam corpus cilicio vesti-  
vit, & ter quotidie flagellari à familiari  
servulo voluit, carneque sibi, quo ad  
vixit, interdixit. Interim ex egentibus  
nunquam pauciores triginta quotidie  
convivas habuit, satis ipse jucundissi-  
mo hoc oculorum epulo pastus. Ulti-  
mò dum pacem pacisci inter Henricum  
Anglorum & Deriogum Hybernorum  
reges laborat, ab hoc Hyberniâ proscri-  
bitur, & in Nortmanniâ moritur, repe-  
rit in exilio patriam. *Ex Lpeloo.*

S. GREGORIVS THAVMATVR.  
GVS. EP. 17. *Novembris.*

**M**iracula, quæ GREGORIVS patra-  
vit, pagellâ hâc circumscribere,  
novum